



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De peccato primi hominis, quod fuit per superbiam. Quæstio 163.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

398 QVÆST. CLXIII. ART. I.
superbia cum deuidum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, ex quibus vitorum multitudines oriuntur.

Et per hoc patet responsio Ad primum.

Ad secundum dicendum, quod superbia non est idē inani gloriæ, sed causa eius. Nam superbia inordinatē excellentiam appetit: sed inanis gloria appetit excellentiæ manifestationem.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod inuidia, quæ est vitium capitale, oritur ex superbia, non sequitur quod superbia sit vitium capitale, sed quod sit aliquid principalius capitalibus vitijs.

QVÆST. CLXIII.

De peccato primi hominis, in quatuor articulis diuisa.

792 **D**Einde considerandum est de peccato primi hominis, quod fuit per superbiam. Et primò, de peccato eius. Secundo, de pena peccati. Tertio, de tentatione qua inductus est ad peccandum.

¶ Circa primum quaeruntur quatuor.

1. **¶** Primo, vtrū primū peccatū hominis fuerit superbia?

2. **¶** Secundo, quid primus homo peccando appetierit?

3. **¶** Tertio, virum eius peccatum fuerit grauius omnibus alijs peccatis?

4. **¶** Quarto, quis plus peccauerit, vtrum vir vel mulier?

ARTIC. I.

Vtrum primi hominis peccatum fuerit superbia?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod superbia non fuerit primi hominis peccatum. Dicit enim

Apostolus ad Rom. 5. quod per inobedientiam unius

hominis peccatores constituti sunt multi. Sed primi

hominis peccatum est ex quo omnes peccatores constituti sunt originali peccato. Ergo inobediencia fuit

primi hominis peccatum, & non superbia.

¶ 2. Præterea, Ambrosius dicit super Luc. quod eo ordine diabolus Christum tentauit, quo primum hominem deuicit. Sed Christus primò tentatus est de

inf ar. 3.
¶ 9. cor.
Et 3. 9. 1.
¶ 3. co. Et
2. d. 22.
¶ 4. 1. a. 1.
Et ma. 9.
7. 4. 7. ad
12. 13. ¶
16. Et Ro.
5. 16. 5. fi.
Et 1. Tit.
2. 1. ¶
* Am. in
2. 4. Lu. in
11. de pri
ma ten
tatione
Christi,
cir. prin.
80 5.

gula
es, d
tum
¶
Sed
ve pa
pe
tem
super
¶
du
fedu
deba
licet
rit, q
tanq
fecer
Ergo
non
S
omn
nis
Per
trau
R
pecc
ille h
dina
inue
in ach
in 1.
maner
res pri
quæ
carum
dinaci
instru
Vnde

gula, vt patet Matt. 4. cum ei dictum est, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Ergo primum peccatum primi hominis non fuit superbia, sed gula.

¶ 3 Præterea, Homo diabolo suggerente peccauit. Sed diabolus tentans hominem scientiam repromittit, vt patet Genes. 3. Ergo prima inordinatio hominis fuit per appetitum scientiæ, quod pertinet ad curiositatem. Ergo curiositas fuit primum peccatum, & non superbia.

¶ 4 Præterea, Super illud 1. ad Tim. 2. Mulier seducta in prauaricatione fuit: dicit glo. * Hanc proprie *est Aug. 11. super Gen. c. 42 a me. 1. 3.* seductionem appellauit Apost. per quam id quod iudicatur, cum falsum esset, verum esse puratum est: scilicet quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuit, quod sciebat eos, si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis diuinitatem inuideret qui eos homines fecerat. Sed hoc credere pertinet ad infidelitatem. Ergo primum peccatum hominis fuit infidelitas, & non superbia.

SED contra est, quod dicitur Eccles. 10. Initium omnis peccati superbia. Sed peccatum primi hominis est initium omnis peccati, secundum illud Rom. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit. Ergo primum peccatum hominis fuit superbia.

RESPONDEO dicendum, quod ad vnum peccatum multi motus concurrere possunt, inter quos ille habet rationem primi peccati, in quo primo inordinatio inuenitur. Manifestum est autem quod primo inuenitur inordinatio in motu interiori animæ, quam in actu exteriori corporis: quia vt Augustinus dicit in 1. de ciuit. Dei; Non amittitur corporis sanctitas *l. 1. c. 18. a me. 1. 5* manente animæ sanctitate. Inter motus autem interiores prius mouetur appetitus in finem, quam in id quod queritur propter finem. Et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, vbi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in statu innocentie institutus, vt nulla esset rebellio carnis ad spiritum. Vnde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani

mani ex hoc q̄ appetierit aliquid sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit præter ordinem rationis. Relinquitur igitur q̄ prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc q̄ aliquid bonum spirituale inordinate appetijt. Non autem inordinate appetiisset, appetendo id secundum suam mensuram ex diuina regula præstitutam. Vnde relinquitur quod primū peccatum hominis fuit in hoc quod appetijt quoddam spirituale bonum supra suam mensuram: quod pertinet ad superbiam. Vnde manifestum est quod primū peccatum primi hominis fuit superbia.

Ad primum ergo dicendum, q̄ hoc quod homo non obediit diuino præcepto, non fuit propter se ab eo uolunt: quia hoc non posset contingere nisi præsupposita inordinatione uoluntatis. Relinquitur ergo q̄ uoluerit propter aliquid aliud. Primū autē quod inordinate uoluit, fuit propria excellentia. Et ideo inobedientia in eo causata fuit ex superbia. Et hoc est quod

*in dialo.
65. q. ad
Orosium:
q. 4. anse
me. t. 4.*

Aug. dicitur ad Orosium, quod homo elatus superbia, suasioni serpentis obediens, præcepta Dei contempsit.

Ad secundum dicendum, quod in peccato primo uis parentum etiam gula locū habuit. Dicitur enim Gen. 3. Vidit mulier q̄ lignum esset bonum ad uescendum, & pulchrū oculis aspektuque delectabile: & tunc de fructu eius, & comedit. Non tamen ipsa bonitas & pulchritudo cibi fuit primū motiū ad peccandum, sed potius suasio serpentis: qui dixit, Aperiuntur oculi uestri & eritis sicut dii: quod appetendo, superbiam mulier incurrit. Et ideo peccatum gulæ derivatum est ex peccato superbia.

Ad tertium dicendum, q̄ appetitus sciētiæ cauatus fuit in primis partibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Vnde & in uerbis serpentis premititur. Eratis sicut dii. Et postea subditur, Sciētes bonum & malum.

*xx. c. 30
cir. med.
20. 3.*

Ad quartum dicendum, quod sicut Aug dicit 14. super Genes. ad litteram, uerbis serpentis mulier non crederet à bona atque utili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis.

potestatis, & quædam de se superba præsumptio. Quod non est sic intelligendum, quasi superbia præcesserit suasionem serpentis, sed quia statim post suasionem serpentis inuasiit mentem eius elatio: ex qua concepitur est, ut crederet verum esse quod dzmon dicebat.

ARTIC. II.

Vtrum superbia primi hominis fuerit in hoc, quod appetierit diuinam similitudinem?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod superbia primi hominis non fuerit in hoc, quod appetierit diuinam similitudinem. Nullus enim peccat appetendo id quod sibi conpetit secundum suam naturam. Sed similitudo Dei competit homini secundum suam naturam. Dicitur enim Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Ergo non peccauit diuinam similitudinem appetendo.

793
1/a. 17.
16. 2. 10. 2

¶ 2 Præterea, In hoc videtur primus homo diuinam similitudinem appetisse, ut scientia boni, & mali potiretur. Hoc enim ei a serpente suggeriebatur, Britis sicut dii scientes bonum, & malum. Sed appetitus scientiæ est homini naturalis, secundum illud Philosophi in principio † Metaphys. Omnes homines natura scire desiderant. Ergo non peccauit appetendo diuinam similitudinem. † 1. 1. 3.

¶ 3 Præterea, Nullus sapiens eligit id quod est impossibile. Primus autem homo sapientia præditus erat, secundum illud Eccles. 17. Disciplina intellectus repleuit illos. Cum ergo omne peccatum consistat in appetitu deliberato, qui est electio, videtur quod primus homo non peccauerit appetendo aliquid impossibile. Sed impossibile est esse hominem similem Deo: secundum illud Exod. 15. Quis similis tui in fortibus Domini? Ergo primus homo non peccauit appetendo diuinam similitudinem.

¶ 4 Contra est, quod super illud Psa. 68. Quæ non rapui tunc exoluebam: dicit Aug. * Adam & Eua rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatē. *est Aug. ibi. 1. 8.*

CC RB.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est similitudo. Una omnimoda æquiparantia: & hanc similitudinem primi parentes non appetierunt, quia talis similitudo ad Deum non cadit in apprehensione, præcipue sapientis. Alia autem est similitudo imitationis qualis possibilis est creaturæ ad Deum, in quantum videlicet participat aliquid de similitudine ipsius secundum suum modum. Dionysius enim dicit in 9. cap. de Diuin. nomin. Eadem similia sunt Deo, & dissimilia. Illud quidem secundum contingentem imitationem, hoc verò secundum quod causata minus habent à causa. Quodlibet autem bonum in creatura existens, est quedam participata similitudo primi boni. Et ideo ex hoc ipso, quod homo appetijt aliquid spirituale bonum supra suam mensuram, ut dictum est, consequens est quod appetierit diuinam similitudinem inordinatè. Considerandum tamen est, quod appetitus est propriè rei non habitæ. Bonum autem spirituale, secundum quod creatura rationalis diuinam participat similitudinem, potest secundum tria accendi. Primo quidem, secundum ipsum esse naturæ. Et talis similitudo ab ipso creationis principio fuit impressa & homini, de quo dicitur Genes. 1. quod Deus fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam, & angelo, de quo dicitur Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis. Secundò verò, quantum ad cognitionem, habet etiam similitudinem in sui creatione angelus accepit, unde in præmissis verbis cum dictum esset, Tu signaculum similitudinis: statim subditur, Plenus sapientia. Sed primus homo in sua creatione istam similitudinem nondum actu adeptus erat, sed solum in potentia. Terziò, quantum ad potestatem operandi. Et hanc similitudinem nondum erant in actu assecuti, neque angelus, neque homo in ipso creationis principio: quia utrique restabat aliquid agendum, quo ad beatitudinem peruenirent. Et ideo cum uterque, scilicet diabolus, & primus homo, inordinatè diuinam similitudinem appetierit, neuter eorum peccauit appetendo.

* c. 9. post
m. c. illius

ar. 2. 3. c.

do similitudinem naturæ. Sed primus homo peccauit principaliter, appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni, & mali, sicut serpens ei suggestit: ut scilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret sibi quid esset bonum, & quid malum ad agendum; vel etiam ut per seipsum præcognosceret quid sibi boni, vel mali esset futurum. Et secundario peccauit, appetendo similitudinem Dei, quantum ad propriam potestatem operandi: ut scilicet virtute propriæ naturæ operaretur, ad beatitudinem consequendam. Vnde Augustinus dicit 11. * super Gen. ad litteram, quod menti mulieris inerat amor propriæ potestatis. Sed diabolus peccauit appetendo similitudinem Dei quantum ad potestatem. Vnde August. dicit in lib. * de vera religione, quod magis voluit sua potentia frui, quam Dei: verumtamen quantum ad aliquid uterque Deo æquiparari appetijt: in quantum scilicet uterque sibi inniti voluit contempto diuinæ regulæ ordine.

c. 30. cir. me. 10. 3.

c. 13 cir. me. 1. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de similitudine naturæ, ex cuius appetitu homo non peccauit, ut dictum * est.

In co. ar.

Ad secundum dicendum, quod appetere similitudinem Dei absolute, quantum ad scientiam, non est peccatum, sed appetere huiusmodi similitudinem inordinate, id est, supra mensuram suam, peccatum est. Vnde super illud Psal. 70. Deus, quis similis erit tibi? dicit Augustin. * Qui per se vult esse, ut Deus, a nullo est, peruersè vult esse similis Deo: ut diabolus, qui noluit esse sub eo; & ut homo, qui ut seruus noluit tene-ri præcepto.

gl. ord ex Aug. sup. Ps. 70. cōtione 2. cir. med. 10. 8.

794

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de similitudine æquiparantiæ.

1. 2. q. 83. a. 3. cor. 1. q. 2. d. 21 q. 2. a. 2. q. d. 37. in 5. expof. ad 1. q. 2.

ARTIC. III.

Utrum peccatum primorum parentum fuerit cæteris grauius?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod peccatum primorum parentum fuerit cæteris grauius.

Cc 2 gra-



UNIVERSITÄTS- BIBLIOTHEK PADERBORN

* c. 15 nō
remotè à
prim. 5.

gravius. Dicit enim Auguf. 14. * de Ciuit. Dei, Magna fuit in peccando iniquitas, vbi tanta fuit in non peccando facilitas. Sed primi parentes maximam habuerunt facilitatem ad non peccandum: quia nihil habebat intrinsecus, quod eos ad peccandū impelleret. Ergo peccatū primorum parentum fuit cæteris grauius.

¶ 2 Præterea, Pœna proportionatur culpe. Sed peccatum primorum parentum grauiſſimè est poenitum: quia per ipſum mors introiit in hunc mundum, vt Apoſt. dicit ad Rom 5. Ergo peccatum illud fuit grauius cæteris peccatis.

¶ 3 Præterea Primum in quolibet genere videtur eſſe maximum, vt dicitur in 2. * Metaph. Sed peccatum primorum parentum fuit primum inter alia peccata hominum. Ergo fuit maximum.

SED contra eſt, quod Origenes * dicit, Non arbitror quòd aliquis ex his qui in ſummo perfectoque conſtiterint gradu, ad ſubitum euacuetur aut decedat: ſed paulatim & per partes deſſuere cum neceſſe eſt. Sed primi parentes in ſummo perfectoque gradu conſiſtebant. Non ergo eorum primum peccatum fuit maximum omnium peccatorum.

RESPONDEO dicendum, quòd duplex grauitas in peccato attendi poteſt. Vna quidem, ex ipſa ſpecie peccati: ſicut dicimus adulterium eſſe grauius peccatum ſimplici fornicatione. Alia autem eſt grauitas peccati, quæ attenditur ſecundum aliquam circumſtantiam loci, vel perſonæ, aut temporis. Prima autem grauitas eſſentialior eſt peccato & principalior: vnde ſecundum eam magis peccatum dicitur graue, quam ſecundum aliam. Dicendum eſt igitur quòd peccatum primi hominis non fuit grauius omnibus aliis peccatis humanis ſecundum ſpeciem peccati. Eſt enim ſuperbia ſecundum ſuum genus habeat quorundam excellentiam inter alia peccata, maior tamen eſt ſuperbia, qua quis Deum negat, vel blaſphemat, quam ſuperbia, qua quis inordinatè diuinam ſimilitudinem appetit: qualis fuit ſuperbia primorum parentum.

vt dictum * est. Sed secundum conditionem personarum peccantium, peccatum illud habuit maximam gravitatem, propter perfectionem status ipsorum. Et ideo dicendum est, quod illud peccatum fuit quidem secundum quid gravissimum, non tamen simpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit de gravitate peccati ex circumstantia peccantis.

Ad secundum dicendum, quod magnitudo poenae, quae consecuta est ad illud primum peccatum, non correspondet ei secundum quantitatem propriae speciei, sed in quantum fuit primum: quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, quae subiecta deordinata est tota natura humana.

Ad tertium dicendum, quod in his quae sunt per se ordinata, oportet id quod est primum, esse maximum. Talis autem ordo non attenditur in peccatis, sed unum per accidens sequitur post aliud. Unde non sequitur quod primum peccatum sit maximum.

ARTIC. IV.

Virum peccatum Adae fuerit gravius quam peccatum Euae?

795
2. dis 2. 2.
q. 1. a. 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod peccatum Adae fuerit gravius quam peccatum Euae. Dicitur enim 1. ad Timot. 2. quod Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevagatione fuit. Et sic videtur quod peccatum mulieris fuerit ex ignorantia, peccatum autem viri ex certa scientia. Sed huiusmodi peccatum est gravius: secundum illud Lucae 12. Ille servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit plagis multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Ergo Adam gravius peccavit quam Eua.

¶ 2. Praeterea, August. * dicit in lib. de Decem chordis, Si caput est vir, melius debet vivere, & praecedere in omnibus bonis factis maxime uxorem suam, vt illa imitetur virum. Sed ille, qui melius debet

cap 3. a
me. 10. 9.

facere si peccet, grauius peccat. Ergo Adam grauius peccauit quàm Eua.

¶ 3. Præterea, Peccatum in Spiritum sanctum videtur esse grauiſſimum. Sed Adam in Spiritum sanctum videtur peccaſſe, quia peccauit cogitans de diuina miſericordia: quod pertinet ad peccatum præſumptionis. Ergo videtur quòd Adam grauius peccauit, quàm Eua.

SED contra est, quòd pœna reſpondet culpæ. Sed mulier eſt grauius punita quàm vir, vt patet Gen. 3. Ergo grauius peccauit quàm vir.

ad præc.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictum eſt, grauitas peccati principaliter attenditur ſecundum peccati ſpeciem, quàm ſecundum peccati circumſtantiam. Dicendum eſt ergo, quòd ſi conſideremus conditionem perſonæ vtriuſque, ſcilicet mulieris, & viri, peccatum viri eſt grauius, quia erat perfectior muliere. Sed quantum ad ipſum genus peccati, vtriuſque peccatum æquale dicitur, quia vtriuſque peccatum fuit ſuperbia. Vnde Auguſtinus dicit 11. * ſuper Gen. ad literam, quòd mulier excuſauit peccatum ſuum in impari ſexu, ſed pari ſaltu. Sed quantum ad ſpeciem ſuperbiæ, grauius peccauit mulier, triplici ratione. Primò quidem, quia maior elatio fuit multo quàm viri. Mulier enim credidit verum eſſe quòd ſerpēs ſuaſit: ſcilicet quòd Deus prohiberet ligni eſum ne ad eius ſimilitudinem peruenirent. Et ita dum per eſum ligni veri Dei ſimilitudinem conſequi voluit, ſuperbia eius ad hoc ſe erexit, quòd contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit hoc eſſe verum. Vnde non voluit conſequi diuinam ſimilitudinem contra Dei voluntatem. Sed in hoc ſuperbiuit, quòd voluit eam conſequi per ſeipſum. Secundò, quia mulier non ſolum ipſa peccauit, ſed etiam viro peccatum ſuggeſſit: vnde peccauit & in Deum, & in proximum. Tertio, in hoc quòd peccatum viri diminutum eſt ex hoc quòd in peccato conſenſit amicabile quadam beneuolentia, qua plerumque

ca. 35. a
m. 10. 3.

que sit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit: vt Aug dicit 11. * super Gen ad literam. Et sic patet, quòd peccatum mulieris fuit grauius quàm peccatum viri.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa seductio mulieris ex præcedenti elatione subsecuta est. Et id eò talis ignorantia non excusat, sed aggrauat peccatum, in quantum scilicet ignorando, in maiorem elationem erecta est.

Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit ex circumstantia conditionis personæ, ex qua peccatum viri fuit grauius secundum quid.

Ad tertium dicendum, quòd vir non cogitauit de diuina misericordia vsque ad contemptum diuinæ iustitiæ: quod facit peccatum in Spiritum sanctum. Sed quia vt Aug. * dixit 11. super Genes. ad literam, Inexpertus diuinæ seueritatis credidit illud peccatum esse veniale, id est, de facili remissibile.

QVÆST. CLXIV.

De pœnis peccati primi hominis, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de pœna primi peccati. Et circa hoc queruntur duo.

¶ Primo, de morte, quæ est pœna communis.

¶ Secundo, de alijs particularibus pœnis quæ in Genesi assignantur.

ARTIC. I.

Utrum mors sit pœna peccati primorum parentum?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd mors non sit pœna peccati primorum parentum. Id enim quod est homini naturale, non potest dici pœna peccati: quia peccatum non perficit naturam, sed vitiat. Mors autem est homini naturalis: quod patet ex hoc, quod corpus eius ex contrarijs componitur: & ex hoc etiam, quòd mortale ponitur in definitione hominis. Ergo mors non est pœna peccati primorum parentum.

Cc 4 ¶ 2 Præ-

cap 42. a me. 10 3.

li. 14. de ciu. Dei. c. 11. cir. fi. 10. 5.

796 12. q. 85.

a. 5. Et 2

d. 30. q. 1

a. 1. Et 3

d. 16. q. 1

a. 1. Et 4

pro. pr. et

d. 4. q. 1.

ar. 1. q. 3

Et 4. 10.

ca 52. Et

mal. 7. 5.

a. 4. et o-

pus 3. ca.

197. 198.

199. 208.

241. Et

242. Et

Ro 5. le.

3. c. 5. Et

Heb 9. fi.